



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 13. Joannis Hesselii mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

sine Baptismo decedentium, ubi Auctor respondet Anabaptistarum difficultatibus. VI. Opus illud, quod a pluribus fuit impugnatum, *de officio pii hominis*, cujus jam supra meminimus, unacum dialogo ad defendendum hunc librum composito. VII. Celebris ejus consultatio de controversis fidei articulis. VIII. Tractatus de restauranda communione sub utraque specie. IX. Catalogus Virorum illustrium veteris Testamenti. X. Duo colloquia cum Anabaptistis. XI. Denique epistolæ ad celebriores ævi sui Viros scriptæ, in quibus multa ad res Ecclesiasticas pertinentia pertractantur. Reliqui ejus libri complectuntur. I. Elogia Virorum illustrium tam Italarum, quam Romanorum II. Panegyricam descriptionem Brugensis civitatis. III. Tabulas de arte, & præceptis Rhetorices, ac Dialecticæ, IV. reductionem nummorum Græcorum, & Romanorum ad Belgicos, V. tractatum de arte concionandi. Ceterum apud omnes in confesso est, quod hic Scriptor primus fuerit, qui de Liturgia solide scripsit.

§. XIII.

Joannis Hesselii mors.

Tertius erat Joannes Hesselius, seu *Mivæus de de Hessels* anno Salvatoris millesi-
Script. Sæc. XVI.

B 3

Sæcul. XVI.
A.C. 1566.

Sæcul. XVI.
A.C. 1566.

Velare &
Dupin. l. c.
pag. 62.

mo quingentesimo vigesimo secundo natus Lovanii, ubi etiam Rithovio ad Yprensem Episcopatum promotus regius Theologiæ Professor nominabatur: anno autem post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo tertio ad Tridentinum Concilium deputabatur, quo etiam unacum Michaelè Bajo, & Cornelio Jansenio postmodum Gandavenfi Episcopo profectus, atque ad hujus Synodi finem Lovanium reversus est, ubi continuatis suæ Scholæ exercitationibus die septima Novembris Anno supra millesimum quingentesimo sexagesimo sexto nonnisi quadraginta quatuor annos natus apoplexia tactus obiit: porro inter ingenii ejus monumenta ceteris palmam eripit Catechismus, qui vere nil aliud est, quam explicatio Theologiæ Dogmaticæ, & moralis ex Patribus, ac præcipue ex Divo Augustino depromptæ, atque hic liber Lovanii Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo typis impressus prodiit. Cetera ejus opera sunt I. argumenta de reali præsentia Corporis, & Sanguinis Domini in Eucharistia, II. Tractatus de invocatione Sanctorum, III. confutatio legis naturalis: IV. Tractatus de firmitate perpetua Cathedræ Divi Petri: V. opusculum de Sacrificio Eucharistico: VI. liber de officio

ficio hominis pii in Religionis diffidiis Sæcul. XVI.
A.C. 1566.
 contra Cassandrum; VII. Tractatus ad-
 versus eundem de communione sub ut-
 raque specie; VIII. defensio pro Officio
 celebrando in lingua, quæ non intelli-
 gitur; porro hoc opus typis excusum
 prodiit Anno Christi millesimo quingen-
 tesimo sexagesimo septimo; IX. Censura
 quarundam Historiarum de Sanctis,
 quod opus Molanus unacum suo Mar-
 tyrologio Lovanii anno millesimo quin-
 gentesimo sexagesimo octavo typis vul-
 gari curavit, X. Commentarius in Pas-
 sionem Domini itidem Lovaniensibus lite-
 ris eodem anno excusus, præter epi-
 stolam de Conceptione Beatæ Virginis.
 Præterea elucubrâbat commentarios
 in Evangelium D. Matthæi, in primam
 ad Timotheum, & primam Divi Petri
 epistolam, atque in omnes Canonicas
 sancti Joannis Epistolas. Hæc sunt e-
 dita typis opera præfati Scriptoris, qui
 præclarum erat Lovaniensis Universi-
 tatis ornamentum non tam ob ejus elo-
 quentiam, linguarum peritiam, atque
 eruditionis sublimitatem, quam pro-
 pter solidam judicandi vim, ac pruden-
 tem in discernendis rebus sagacitatem,
 insuper eundem commendat eximius
 erga Ecclesiam, & veritatem affectus,
 laboris assiduitas, & uberrimus, qui
 ex ejus operibus decerpitur, fructus.